



IESVS, MARIA, IOSEPH.

IVRIS ALLEGATIO IN FAVOREM ADMODVM ILLVSTRIS MARGARETÆ DE CARDONA, & DE ERIL COMITISSÆ DE ERIL, & MARCHIONISSÆ DE CASTELLNOU.

Contra

NOB. OLDEGARIVM DE ERIL, ET DE ORCAV.

Ad Relationem Magnifici Michaelis Alegre R. A. D.



RÆCIPVVM fundamentum sub cuius fide victoriam reportare intendit nob. Oldegarius de Eril in lite iam diu mota, contra Admodum Illustrem Margaretã de Cardona, & de Eril Comitissam de Eril, & Marchionissam de Castellnou super reiuindicatione Comitatus, & Baroniarũ de Eril, de Orcau, & Sancti Antolini prætenso innititur instrumento capitulorum matrimonialium quæ firmata, & conuenta leguntur inter D. Philippum de Eril quondam primum de Eril Comitẽ, & D. Ciciliam de Senmanat coniuges stipulato penes Petrum Fitor quõdam Ciuitatis Barcnone not. publ. die 1. Decemb. anni 1582. ex quo, inter prætatas nuptiales conventiones, vnũ reperitur caput, incipiens. Item per fauor, & in eo quoddam fideicommissum agnatiuum excludens feminas, & masculos ex feminis à prædictis D. Philippo, & D. Cicilia descendentes, & istis præferens fratres dicti D. Philippi, & eorũ descendentes masculos ex masculis, quod quidam instrumentum nullatenus esse attendendum, vtpotè falsum, vel de falso valde suspectum, sequentia suadent.

Sed vt clarius hac in iuris allegatione procedatur opere pretium erit, aliquas vt certas firmare conclusiones, ex varietate qua inter se in hac materia cruciantur Doctores selectas.

1 Tenendum itaque pro certo est, quod quamuis pro condemnatione criminali in falsitatis crimine desiderentur plenè, ac concludentes prouationes, præmaximè vt pena ordinaria imponi valeat, iuxta latè tradita per Bos. tit. de fals. nu. 45. Farin. eod. tract. quest. 152. nu. 2. & 104 Fontan. decis. 257 Ripoll id addit. ad præxim. rubr. 17. nu. 38. attamen in causis civilibus, vt fide nudatum remaneat instrumentum, ita vt in iudicio illi minimè credatur; coniecturæ, ac præsumptiones sufficiunt, quibus de falso suspectum illud reddatur, in iudicio enim civili suspicio falsitatis pro concludenti existimatur falsitate, vt in instrumento alias publico, ac autentico fides omnino denegetur, l. iubemus C. de probat. Archidiacon. in cap. in memoriã 19. distinc. Franco. Marc. dec. f. 87. nu. 6. par. 1. Olasc. decis. 117. nu. 6. Crau. conf. 134. nu. 26. Menoch. de adipisci. en. re. med. 4. nu. 700. & de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 20. & conf. 199. nu. 5. Ricci. decis. 81. Sesse decis. 72. nu. 8. & decis. 109. nu. 20. lib. 1. Rota apud Farin. in post. decis. 452. & decis. 627. & de falsitate, d. quæst. 152. nu. 10. & 32. Fontan. decis. 257. nu. 5. D. Ioan. Bapt. de Larrea alleg. fiscal. 96. nu. 3. Pareja de instrum. edit. tit. 1. resolut. 392. nu. 26.

2 Quam conclusionem, non solum communem, sed vt certam, verissimã, ac indubitatam testantur Decian. conf. 99. nu. 9. lib. 2. Sfor. Oddo. conf. 78. nu. 1. Menoch. conf. 99. m. 5. lib. 2. Farin. conf. 108. nu. 8. affirmans ipse d. quæst. 152. nu. 32. contradictorem illam minimè habere.

3 Vnde vt suspectum de falso estimetur instrumentum sufficiunt, non iuris solum præsumptiones, verum etiã, & ille, quæ hominis vocantur Abbas in cap. afferte mibi gladium nu. 5. de præsumpt. Decius in cap. 4. nu. 57. de probat. Marsil. in l. 1. §. item nu. 4. de quæst. Mandel. conf. 99. n. 6. Malcar. de probat. lib. 2. concl. 740. m. 3. Menoch. de præsumpt. lib. 1. præsumpt. 58. nu. 20. & præsumpt. 97. nu. 16.

A Quo

- 4 Quorum omnium ea est ratio, quia falsitas, lucē fugiens, ac tenebras quærens occulte semper committitur, Larrea *alleg. 95. nu. 4.* ob quod difficilis creditur probationis Honded. *conf. 109. nu. 2. lib. 1.* Larrea *alleg. 97. nu. 1.* Noguero *alleg. 26. nu. 143.* ita ut falsitatem detegere quodam modo ut diuina habeatur reuelatio Bald. *in l. si ex falsis C. de transact. nu. 2.* ponderando illa verba, ibi: *Ciuiliter falso reuelato*, Socin. *iun. conf. 41. nu. 7. lib. 1.* ea quæ de causa in falsitatis probationem aliqua singularia inducta reperiuntur, interque præcipuum est, ut sola suspicio falsitatis pro plena admittatur, & inuile reddat instrumentum in iudicijs ciuilibus, ut illi fides minimè sit danda, ut punctim obseruabit Archidiacon. *in d. cap. memoriam 12. distin. 19.* quem cæteri securi sunt, & cum multis Noguero *d. alleg. 26. nu. 147.*
- 5 Atque ideò, leuioribus contentantur iudicia ciuilia coniecturis pro deneganda fide instrumento, ac pro criminali desiderantur condemnatione, Grat. *conf. 60. nu. 19. lib. 2.* Alua *conf. 225. nu. 29. & conf. 485. nu. 6.* Curt. *iun. conf. 64. nu. 5. & conf. 132. nu. 10.* Cepha. *conf. 338. n. 22. & conf. 420. nu. 42.* Menoch. *conf. 44. nu. 33. lib. 1.* Burlat. *conf. 311. nu. 11. lib. 3.* Viuius *decis. 81. nu. 3. & 10.* Olsac. *decis. 117. n. 7.*
- 6 Supponendum, & secundo, est in duplici esse differentia coniecturas, & præsumptiones quibus de falso argui queit instrumentum, alie enim suntque ex vitio visibili, & intrinseco oriuntur, alie ex inuisibili, & extrinseco, & quamuis Mandel. *conf. 99. nu. 2. lib. 1. & conf. 265. nu. 20. lib. 2.* & alij exemplificant vitia visibilia, & intrinseca in cancellatione, delineatione, abrasione, & alijs similibus, certius tamen est, & iuri conformius, vitia visibilia esse omnia illa, quæ ex ipsa lectura, & instrumenti, contextura deducuntur absque vlla extrinseca probatione, Paul. de Castro *in l. iubemus nu. 2. vers. Adde quod docuit C. de probat. Curt. sen. conf. 55. nu. 26.* Natta *conf. 633. nu. 8.* & consequenter vitia inuisibilia, & extrinseca esse illa, quæ ex ipsa instrumenti lectura minimè arguuntur, & ab extra probari debent Farinac. *conf. 109. nu. 5.* Noguero *dicta alleg. 26. nu. 148. & 149.*
- 7 Et quamuis Boss. & alij relati per Farinac. *d. quæst. 152. nu. 15.* discrimen admittere tentarunt inter præfatas coniecturas ortas ex vitio visibili, & deductas ex inuisibili, & extrinseco, ut ille suspectum efficiant instrumentum, non verò iste, nullo tamen fundamento fulcita reperitur dicta præfata differentia, imò communiter per Doctores reprobatur, pro certo tenentes, falsitatis suspicionem siue ex vitio visibili, & intrinseco, coniecturam, siue ex vitio inuisibili, & extrinseco instrumenti fidem, enarrat, ac vultit Olsac. *in l. si Pedam. 17. nu. 7.* Curt. *iun. conf. 64. nu. 5.* Surd. *conf. 173. num. 4.* March. Anton. Peregrin. *conf. 92. num. 26.* & cum Natta Menoch. Mascard. Mandello, Sforzia, Oddo, & alijs multis Farinac. *d. quæst. 152. nu. 16.* Gaito *de credito cap. 2. tit. 7. nu. 2904. & tit. 5. nu. 914.* Pareja *de instrum. edit. tit. 1. resol. 3. §. 2. nu. 28.* Ciriac. *tom. 1. controu. 62. nu. 30.* Guaz. *de def. reor. defen. 4. cap. 9. nu. 9.*
- 8 Ut enim ratiocinantur Farinac. *d. nu. 16.* Cessa. *decis. 118. resol. 2. in glos. lit. G.* quando vitio visibili impugnatur instrumentum iuris determinatione iudicatur falsum, attamen si vitium est inuisibile, & latens, tunc tale instrumentum non dicitur falsum, sed suspectum de falso præsumptione hominis, quæ iudicis mouet animum, ut illi fidem denegat tanquam suspectum de falso, quam sententiam veram, & in praxi admissam à qua recedere iudicibus nefas est testantur Farinac. & Cessa *in distis locis, Gaito dicto nu. 914.*
- 9 Quibus præhabitis fatendum est, dictum instrumentum dotale, aut saltim dictum caput. Item, per fauor, esse falsum, vel (quod idem est) valde de falso suspectum ob tot, tantasque coniecturas, & vehementes præsumptiones, quibus illius falsitas manifestè detigi videtur pro vt sequentia demonstrant.
- 10 Prima sit coniectura, contrarietas, & repugnantia intrinseca, ac visibilis, quam communiter DD. æstimant vnam, ex fortioribusque deduci possunt in falsitatis probationem, *l. qui falsa ff. de testibus, l. eos in fin. C. ad l. Corneliam de falsis, Bald. in l. cum proponeretur ff. de legat. 2. Grammat. conf. 34. nu. 5.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 20.* Ruin. *conf. 39. nu. 11. lib. 4.* cum multis Farinac. *de falsitate quæst. 153. a nu. 121. cum seq. Bar. in collectan. ad cap. de fide instrum. nu. 2.* Pareja *de instrument. edit. tit. 7. resol. 2. nu. 7.* Noguero *alleg. dicta 26. nu. 138.* non enim credendum est, contrahentes ita facile in vno, ac eodem instrumento se corrigere, ac contrariari, *l. non ad ea. ff. de condit. & demonstr. l. 1. vbi Bald. Cod. per quas personas nobis acquiritur Decian. conf. 21. nu. 22. lib. 3.* Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 134. num. 18.* de quibus latissimè Barb. *axiom. 230.*
- 11 Visibiles autem expressè, notoriè, ac geminate reperiuntur contrarietates, & repugnantie in dictis capitulis matrimonialibus, & in illorum præcipua dispositione, in primo enim hæreditamento, ac donatione facta per D. Alfonso de Eril in fauorem D. Philippi filij sui, ac quondam Comitum primi de Eril in dictis capitulis matrimonialibus, & in cap. incipienti.

- Primer. ment lo dit noble senyor D. Alfonso* legitur dictum D. Alfonso heredare, ac donationem vniuersalem facere omnium suorum bonorum dicto D. Philippo, & suis ac quibus ille voluerit (quod idem est, ac si donationem ille fecisset ad suas, & suorum liberas voluntates, *Monter. decis. 10. nu. 6. Fontan. de pact. clau. 4. glos. 9. par. 3. num. 46. & decis. 55. nu. 10.*) certis cum pactis, vinculis, & conditionibus, quorum nullum, vel nulla libertatem, disponendi dicto D. Philippo iam concessam tollere poterant, quam donationem clausulis stillatis, & pro illius subsistentia necessarijs vestitam reperimus.
- 12 Paulo post, aliud legitur capitulum, prætensum scilicet per dictum nobilem Oldegarium incipiens. Item per fauor, in quo instituitur, ac formatur vinculum, ac fideicommissum masculinum, & agnatiuum, auferens non solum libertatem dicto D. Philippo iam concessam, verum etiam, & excludens suos descendentes, feminas, & masculos, ex feminis, vocans illius transversales, ex quo notoria resultat contrarietas, ac repugnantia in principaliori dispositione dicti instrumenti, si enim donatio erat facta omnium bonorum ad suas, & suorum liberas voluntates, quomodo illi postea imponitur vinculum, ita rigore plenum? Et si prædicto fideicommissio onerare intendebat dictum D. Philippum præfatus illius pater D. Alfonso, quare prius illi facta fuit donatio, vt de bonis donatis liberè posset diserneret.
- 13 Eadem contrarietas, ac repugnantia extat in donatione facta per D. Ioannem de Eril, & Aymerich dicto D. Philippo filio suo in capitulo incipienti. Itè, *la noble senyora dona Ioana*, cū dicto capitulo. Item per fauor, in illo enim simpliciter fuit facta donatio dicto D. Philippo, ac suis perpetuo, sub cuius dispositione omnes indistinctè descendentes dicti D. Philippi, tam masculi, quam feminae vocati existebant, destruens primam vocationem, & illius fauorabiliorem dispositionem, dum transversales dicti D. Philippi illius descendentes præfert.
- 14 Pro cuius coniecturæ efficacitæ, alique sunt ponderandæ circumstantiæ in nostro casu, quæ omninò dictam suadent falsitatem, animaduertendum enim est primo, omnibus notum esse, quod quotiescunque aliquod per tractatur matrimonium, præmaximè quādo contrahentes sunt qualitatis, prout dicti D. Alfonso, D. Philippus, & D. Cicilia Senmanat, primo inter partes adest conuentio super interesse, & alijs, habito consilio cum aduocatis, qui postea conuentiones substantiant eo modo quo actum iam erat, & ille notario traduntur, vt indebitam instrumenti formam reducat; ex quo dicendum est, quod si prætensum vinculum, ac fideicommissum agnatiuum conuentum antea inter contrahentes fuisset, nec aduocati consulti ita insipientes debent existimari, nec notarius penes quem stipulatum fuit instrumentum, vt non animaduertent contrarietatem, & repugnantiam resultantem ex dictis donationibus, cum dicto vinculo masculino, & agnatiuo, nec credendum est quod illam, non emendarent, & corrigerent dum vt in digna est notanda instrumento ita graui, vt fuit dictorum capitulorum matrimonialium, propter contrahentium omnibus notam nobilitatem, & bonorum dictis in donationibus contentorum.
- 15 Nec credendum est, quod si antea conuenta fuisset donatio simpliciter faciendæ in fauorem dicti D. Philippi, & matrimonij contrahendi cum dicta D. Cicilia, dum illa erat ex principalioribus dicti matrimonij conuentionibus vellent eam reuocare in ipsa executione eiusdem conuentionis, & quod ita patienter sustinerent omnes interesse habentes, & interuenientes in dicto contractu præmaximè dicta D. Cicilia, cuius erat primum interesse, vt nullatenus dictum fideicommissum agnatiuum fieret, & quādo donationum quæ prius dicto D. Philippo factæ iam erant reuocationi omnes assentirent, certissimum est, quod reuocarent, vel cancellarent verba, quibus dictis in donationibus libera disponendi facultas in bonis donatis dicto D. Philippo tribuebatur dum omnia vno eodemque instrumento per agebantur.
- 16 Contrarietas alia, ac repugnantia in dicto capitulo. Item per fauor legitur in eo enim dicitur fauore illius matrimonij conuenta fuisse, quæ in illo existunt, & dum in dicto capitulo instituitur, atque formatur prætensum vinculum masculinum, & agnatiuum, quo excluduntur feminae, ac masculi ex feminis descendentes à dicto D. Philippo, & D. Cicilia, prælatis transversalibus masculis, ex masculis dicti D. Philippi, nequam potuit dici dictum capitulum. Item per fauor dicti matrimonij respicere fauorem, ac in eius contemplationem fuisse factum.

- 4
- 17 Secunda sit coniectura, quam communiter admittunt, & testantur DD. inuerisimilitudo actus, vel instrumenti Bald. in l. scriptura nu. 6. C. de fide instrum. Curt. iun. conf. 17. nu. 9 & conf. 178. nu. 14. Decius conf. 11. nu. 3. & conf. 99. nu. 2. Craueta conf. 28. nu. 1. & conf. 134. nu. 36. Mascard. conclus. 140. nu. 25. Menoch. lib. 5. presumpt. 20. num. 14. Farinac. de falsitate quæst. 153. nu. 176. vt enim supra relati animaduertunt, & communiter dicitur, inuerisimilitudo imago est falsitatis, vt latè Barb. axioma 223. & non vna, sed plures inuerisimilitudines adfunt in dicto capitulo. Item per fauor, vt latè in processu animaduersum est, & inter illas præcipuè sunt sequentes.
- 18 Prima inuerisimilitudo vt notescat, animaduertere oportet, dictum D. Alfonso donatorem suis in capitulis matrimonialibus, & D. Ioannæ de Eril, & de Aymerich omnium bonorum donationem fecisse filio primogenito ex illo matrimonio nascituro, qui quidem fuit dictus D. Philippus, absque eo quod in dicta donatione impositum existeret vinculum, aliquod, vel fideicommissum, ita vt tempore quo dicto D. Philippo facta fuit secunda donatio, contemplatione videlicet matrimonij contrahendi cum dicta D. Cicilia de Senmanat omnia bona dicti D. Alfonso patris sui ad illum expectabant, ex vi primæ donationis, & in principio capitulorum matrimonialium, de quibus est præsens disputatio, ipse D. Alfonso donator expressè affirmat, & protestatur secundam facere donationem sine reuocatione, & nouatione alterius iam, factæ in fauorem dicti D. Philippi filij sui in capitulis matrimonialibus dicti D. Alfonso, & D. Ioannæ coniugum, ex quo magna inuerisimilitudo resultat, non enim credendum est tale vinculum masculinum, & agnatum in dicto capitulo. Item per fauor institui posse contra expressam protestationem antea factam, de non reuocando, nec innouando primo hæreditamento, vel donatione, dum incompatible sit dictum præsumptum vinculum agnatum, cum libera dispositione, quæ dicto D. Philippo in prima donatione concessa erat, ex traditis a Bald. in l. vltima nu. 1. C. de nouationib. Decio in l. pacta nouissima col. 2. C. de pact. Craueta conf. 167. nu. 5. ex quibus manifesta apparet contrarietas etiam, & repugnantia in dictis capitulis matrimonialibus dicti D. Philippi.
- 19 Resultat quoque ex supra animaduersis alia non leuis inuerisimilitudo contra dictum capitulum. Item per fauor, humanus enim sensus capere non potest, quod ille qui dominus iam erat, vel ad quem pertinere debebant omnia (quæ tunc donabantur) cum libera dispositione in eis, ita vt in secunda donatione nihil amplius consequi sperabat, admitteret grauamen ita intollerabile, vt est dictum præsumptum vinculum agnatum, sibi præiudicium inferens duplici modo, primo sibi auferens libertatem disponendi in dictis bonis: Secundo præferens suæ saminæ descendentiæ suos transversales, præmaximè nullum consequens lucrum, ex dicto secundo hæreditamento: Imò consentiens in pluribus reservationibus factis à dicto D. Alfonso, quas res puere dictus D. Philippus poterat ex vi dictæ primæ donationis: Quibus addendum est, secundam donationem fuisse factam contemplatione certi matrimonij quando parentes liberales se exhibent in filiorum beneficium, & non præiudicium Rota apud Farinac. decis. 32. nu. 2. par. 2. recentior. Larrea decis. Granaten. 42. nu. 6.
- 20 Suadet amplius inuerisimilitudo dicti capituli. Item per fauor, ex qualitate personæ quæ introducit etiam informando dicto præsumptum vinculo masculino, & agnatum, & fuit dicta D. Ioana de Eril, quæ cum esset samina, & suo non obstante sexu successisset in Baronijs de sant Antoli, Rubinat, & alijs: ex quibus constabat suæ domus ac familiæ de Aymerich maioratus, & similiter D. Isabel Hieronyma, mater sua, inuerisimile omninò sit ita odio suum sexum habuisse, vt vellet excludere non solum feminas à sua successione, verum etiam masculos ex feminis contra iuris, præsumptionem, qua creditur mulieres suum, non contempnere sexum: Imò potius in dispositionibus & vocationibus ab illis factis comprehensæ intelliguntur saminæ, adhuc in casu quo ius illas minimè cognoscit, nec admittit Socin. in l. cum nu. 83. vers. 3. casus ff. de condit. & demonstr. Deci. conf. 568. & conf. 570. nu. 11. Paris. in commentarijs ad consuecud. Paris. §. 16. nu. 7. Molin. de Hispan. primogenij lib. 3. cap. 5. num. 73. Hieronym. Gabriel conf. 93. nu. 15. Peregrin. de fideicom. art. 25. num. 18. Ripa in responso 24. lib. 1. Rolan. conf. 76. lib. 3. Rosental. de feud. tit. 7. conclus. 38. nu. 11. Surd. decis. 9. nu. 9. quo pacto ita quæ fides adhiberi poterit dicto præsumptum vinculo in quo dicta D. Ioana, ita feminas adhuc suas respuit descendentes.

Imò

21. Imò indistinctè semper præsumitur, vt magis verisimile, quod instituet quis hæredes conformans se cum iuris dispositione absque distinctione sexus, vocans quos ab intestato successuri erant, vt in istis terminis ratiocinatur, Decian. *confi. 99. num. 41. lib. 2.*
22. Quod ipse Comes D. Philippus composuerat dictum prætensum vinculum agnatiuum, in suæ posteritatis fauorem, omne illud in suis descendentes includens, tollerabile erat, attamen quod illud fecisset ad includendos transversales, & excludendos suos descendentes incomprehensibile fit, ex latè adductis à Marta *de succ. ffio. legati par. 1. quæst. 1. 4. artic. 5. num. 13.* Merlin. *de legitima lib. 3. tit. 1. quæst. 12. à num. 13.* Peregrin. *conf. 86. tit. 8. lib. 1.* Fontanel. *decif. 37. nu. 14.* Noguierol *allegat. 6. nu. 43.* quod ipse Comes D. Philippus, ita facilis existeret, vt suorum patrum, suationibus deuinceretur dictum admittens prætensum vinculum, sibi suisque præiudicans, ac primæ donationis iuribus renunciatis credibilis est, attamen quod dicta D. Cicilia eius vxor dicto prætenso vinculo assentiret cum tam magno suorum descendentes præiudicio, quando D. Philippus libera cum dispositione dominus iam existeret, omniumque ei à suo donabatur patre, omninò inuerisimile redditur.
23. Iuuatur amplius inuerisimilitudo dicti prætensi vinculi si animaduertatur quod statim atque publicatum fuit vltimum testamentum dicti D. Alfonsi patris dicti D. Philippi Comitris de Eril, expressè iste protestatur de omnibus, & quibuscumque iuribus sibi competentibus ob vincula, & vocationes antiquas illius fauorem respicientes, ita vt ex dicto testamento nullum sibi præiudicium parari posset, & qui ita cautus extitit pro suorum iurium conseruatione, cõtra sui patris testamentum, protestans credendum est, nullatenus voluntarie admississe dictum prætensum vinculum, omni ex parte illi damnosum, ex prouidentia enim qua regulariter quis sibi prospicere solet, validum desumitur argumentum ad credendum, neutiquam permisisse in negotio grauiori, & maioris interesse leui, argumento *legis defunctus Cod. arbi. tutel. iuncta, licum de indebito de probationibus. Rota decif. 3. de concessione prebende in nouis, & ex traditis à Bartulo in l. tutor qui reperiaturum §. si post. ff. de admist. tutor. & Scouar de ratiocinis cap. 19. nu. 27. & 23. Surd. conf. 454. nu. 34.*
24. Redditur etiam inuerisimile dictum prætensum vinculum ex dispositis non in vno, sed in quam pluribus testamento dicti Comitris D. Philippi de Eril donatarij, in testamento enim ab illo condito die 13. Aprilis 1587. hæredem instituit vniuersalem in Comitatu, & alijs bonis Comitrem D. Alfonsum filium suum, vocans pariter masculos, ac feminas, & a suis obseruantiam dictorum capitulorum matrimonialium petens valde deprecans quod casu, quo Comitatus, & suæ Baronie ab aliqua possideantur feminæ, dicta D. Cicilia eius vxor, ac curatores filiarum suarum omni curent studio, istam matrimonio cupulare cum aliquo consanguineo de domo, & familia de Eril, vnde inuerisimile creditur, quod qui dictorum capitulorum matrimonialium desiderabit obseruantiam, eodem tempore veller obseruari, & non obseruari, dum inter se omninò contraria existunt, *l. mutuo ff. pro socio, l. 1. C. de furtis*, quod et idem exhibet signum dictum prætensum excludens vinculum.
25. Pariter in alio testamento condito per dictum D. Philippum, die 10. Martij 1596. suos vocat descendentes masculos, ac feminas in Comitatu, & Baronijs præcipiens obseruantiam dictorum capitulorum matrimonialium dicens, & protestans, dictum facere testamentum, pro maiori cautela, & prouidentia, si forsan aliqua deficerent in illis, ex quo duo præcise inferuntur, primum, in memoria habuisse dicta capitula matrimonialia, secundum, in istis nullatenus extitisse vinculum, ac fideicommissum satis explicatum, & dispositum in fauorem dicti Comitris D. Philippi descendentes, & ferè eisdem verbis idem disponit alio in testamento die 12. Martij 1596. quæ omnia vehementer suadent inuerisimilitudinem dicti prætensi vinculi, & quamuis dicta testamenta fuissent posteriori vltimo reuocata, attamen vltra quod in eo eadem exclusio dicti prætensi vinculi fouetur, vt infra patebit, dicta reuocatio non tangit effectus, qui ex dispositis alias possunt oriri, & colligi, vt lato calamo Fontanel. *decif. 89.*
26. In vltimo testamento dicti Comitris D. Philippi instituit ipse vinculum regulare, vocans masculos, ac feminas, & comendat obseruantiam vinculorum, quæ posita fuere in dictis capitulis matrimonialibus in fauorem filiorum suorum, & vsufructum vniuersalem

- uerfalem dictæ D. Ciciliæ relinquit dum dictis capitulis matrimonialibus hæc non contrariaretur dispositio, & si aliqua controuersia super his oriretur inter dictam D. Ciciliam, & filios suos, quatuor nominat personas, à quibus decidatur controuersia, & inter alios nominat D. Franciscum de Eril fratrem suum, quem in exequutorem suæ ultimæ voluntatis eligit, ad cuius instantiam, & ipso presente publicatum fuit dictum testamentum, ex cuius facti constructura tres valent deduci coniecturæ, quæ incredibile constituunt dictum prætesum vinculum agnatiuum.
27. Prima sit, vocatio masculorum, ac feminarum in Comitatu, & Baronijs ita, inhærens dictorum capitulorum matrimonialium obseruantia, quod desiderans vsufructum vniuersalem suorum bonorum dictæ D. Ciciliæ eius vxori relinquere, si cum dictis capitulis matrimonialibus contrariatur frustrari eo in casu relictum expresse disponit.
28. Sit secunda, confessioque in dicto testamento continetur qua dictus D. Philippus affirmat, vincula quæ in dictis capitulis matrimonialibus exprimentur, esse in fauorem filiorum suorum, sub cuius nomine masculi, ac feminae pariter comprehenduntur, *l. si quis ita 16. de testament. tutel. l. si ita scriptum ff. de legat. 1. Verolius conf. 113. nu. 1. The-saur. decis. 269. Petegrin. de fideicommissis artic. 25. num. 4. Molinus de Ritu nuptiar. lib. 3. quæst. 16. & probatur ex ipsa dicti testamenti contextura, quia postquam dictus Comes D. Philippus vocauit filios, & filias, præcipit obseruantiam vinculorum, quæ posita existunt in dictis capitulis matrimonialibus in filiorum suorum fauorem, quibus satis excluditur dictum prætesum vinculum agnatiuum.*
29. Tertia sit coniectura, quod dictus D. Franciscus de Eril reperiens se nominatum exequutorem testamentarium in dicto testamento fecit illud in sua publicari præsentia, & neuiquam contra in illo disposita in suorum iurium præiudicium protestatur. Ex quibus liceat duas deducere animaduersiones, prima quod dictus D. Franciscus plenam habuit notitiam dictorum capitulorum matrimonialium, dum illius frater Comes scilicet D. Philippus fuit qui illis subscripsit, & cuius matrimonij gratia fuerunt conuenta, consanguineus enim, præsumitur facta suorum consanguineorum scire, Valen. Velaz. conf. 119. ex num. 136. Nogueroi allegat. 24. num. 104. & quia negari non potest dicta capitula matrimonialia, & eorum conuentionem, esse actum valde solemne, & notabile, provt suadet qualitas contrahentium, quo in casu scientia præsumitur non ignorantia, Petrus Beniten. decis. 71. num. 6. Bursat. conf. 118. nu. 10. lib. 1. Menoch. de præsumpt. præsumpt. 24. num. 81. & 82. lib. 6. tum etiam, quia dictus D. Franciscus non leue habebat interesse in dictis capitulis matrimonialibus, quod non parum pro scientia conducit, ex traditis à Cardinali in clementina 1. §. fin. de concessione præbende, Maranta in l. bis potest num. 229. ff. de acquirenda heredit. probaturque euidenter habuisse dictum D. Franciscum notitiam dictorum capitulorum matrimonialium, quia super illis concordia quædam facta fuit inter dictum D. Franciscum, & Comitem D. Philippum fratrem suum, Becc. conf. 180. num. 22. Surdus decis. 4. num. 8. Giurba decis. 79. num. 5. Secunda sit, quod supposita dicta notitia in dicto D. Francisco certissimum est, quod si aliquod adesset vinculum, vt intendit pars aduersa in fauorem dicti D. Francisci, protestationem iste emisisset, quando publicabatur dictum testamentum Comitibus D. Philippi, & in illo legebantur vincula omninò contraria dicto D. Francisco ex dicto capitulo. Item per fauor, pro conseruatione suorum iurium, diligens enim quilibet præsumitur in his quæ ad eius interesse expectant Craueti conf. 615. vers. Iure plane, & conf. 857. nu. 16. & conf. 627. nu. 7.
30. Non parum fouetur hæc vltima consideratio ex eo quod legitur in quodam processu exequutiuo inter D. Ioannem de Eril quondam patrem dicti nobilis Oldegarij, & Comitem D. Alfonso de Eril, iste enim (inter alia in defensionem suam) vinculum deduxit regulare, comprehendens masculos, ac feminas contentum in dictis capitulis matrimonialibus, & omnibus satisfaciens, ac respondens dictus D. Ioannes, nec vllum dixit verbum de dicto vinculo regulari, quæ argumentum validum præstant pro inuerisimilitudine, quam continet dictum prætesum vinculum agnatiuum.
31. Fouentur omnia superius animaduersa pro dicta inuerisimilitudine, quia præfata dispositiones ex testamentis deducuntur quæ semper sunt dum mors speratur, & in illius considerationem, *l. 1. ff. de testamen.* Et non est credendum voluisse dictum Comitcm

mitem D. Philippum iustitiam dictorum capitulorum matrimonialium subvertere, si verum existeret dictum prætenfum vinculum vocans filias suas præmaximè illorum mentionem faciens, & observantiam commendans, præsumitur enim quod testator disponit prout debet, & vt solent prudentes Alexander in l. qui filiabus §. 1. num. 3. ff. de legat. 1. Bald. conf. 40. num. 1. volum. 3. & quod non intendit inutiles facere substitutiones, l. apud Iulian. §. Titius, versic. Pondus, l. cum seruus, cum ibi notatis per Bartholum ff. de legat. 1. Craucta conf. 181. num. 3. lib. 1. nec credendum est contra suam conscientiam, & in animæ præiudicium dictum D. Philippum tentasse Comitatum, & alia sua bona filiabus dare contra expressè cautum in dicto prætenso vinculo, nemo enim immemor salutis æternæ existimatur, cap. Sancimus 26. 1. quest. 7. cap. litteras 14. de præsumpt. Surdus decis. 55. nu. 1. Valen. Velaz. conf. 169. nu. 75.

32 Quibus omnibus addende sunt pluries aliæ inuerisimilitudines, quæ prolixitatis vitandæ gratia omittuntur, & in articulis per hanc illustrem partem oblatis ponderantur, & quamuis iudicis arbitrio relictum sit decernere, quæ sit inuerisimilitudo, vel non, attamen pro inuerisimilitudine admitti debet omne illud, quod à ratione deniat, à naturali cursu, & assueto iuris ordine, & ab his quæ communiter fieri solent cap. 1. de clericis non residentibus, Borsius de oppositionibus contra testes num. 96. Curt. tract. de testibus quest. 19. Menoch. de arbitrar. casu 85. num. 5. & 6. quis ita quæ negare poterit iuxta superius animaduersa dictum prætenfum vinculum omnem contra se habere verisimilitudinem.

33 Ita potens est inuerisimilitudo alicuius instrumenti vt illius destruat fidem in iudicio, vt porè de falso suspecti, quod illa, sufficiens est coniectura absque alijs, vt pro falso habeatur instrumentum Baldus in l. scriptura num. 5. & 6. versic. Quadam sunt Cod. de fide instrument. Mascardus conclus. 540. num. 5. & 6. & conclus. 1370. & conclus. 409. & cum Craucta, Alua, Natta, & alijs affirmat Farinac. conf. 108. num. 116. quia sicuti, nihil ita veritatem suadet, vt verisimilitudo, taliter quod ipsa veritas absque verisimilitudine non creditur, vt notabit Petr. Bimius conf. 188. num. 38. Ita pariter instrumentum in se continens inuerisimilitudinem, vt de falso suspectum contemnitur, vt affirmat Bimius *ubi supra* nu. 39.

34 Non parum conducit Cancerij doctrina par. 1. cap. 7. num. 142. sequendo Morot. conf. 47. num. 12. vbi tenet quod donatio facta à patre filio impuberi omnium bonorum præsumitur de falso suspecta propter inuerisimilitudinem quam in se continet.

35 Et non solum sufficiens inuerisimilitudo creditur, vt de falso suspectum habeatur instrumentum verum etiam in dubio dum adest inuerisimilitudo tenetur iudex illi minimè credere Alba conf. 99. nu. 7. Bimius d. conf. 188. nu. 42.

36 Tertiam fallitatis coniecturam nobis offert Roman. Pontifex in cap. inter dilectos de fide instrumentor. vbi quandam damnat sententiam, vt de falso suspectam, quia in illa mentio facta non fuit quorundam privilegiorum, quia verisimiliter de illis erat faciendâ, quam coniecturam vrgentem vocant Bimius *ubi supra* num. 51. Craucta conf. 864. nu. 5. & 6. lib. 5. Nogueroi allegat. 26. nu. 173. & si bene examinentur omnia testamenta, & cætera alia instrumenta, quæ in processu sunt exhibita, in quibus memoria fit dictorum capitulorum matrimonialium, in nullo ex illis fit mentio dicti præteni vinculi, quod vti singulare, & notandum, speciali nota erat dignum, aliàs præsumitur neglectum, & nunquam extitisse, l. item apud Labeonem §. att prætor ff. de iniurijs, Menoch. conf. 1157. num. 14. volum. 12. Larrea allegat. 94. nu. 25. Nogueroi allegat. 23. num. 49. & non solum de illo minimè fit mentio, imo potius plura ad sunt verba, ex quibus vehementes coniecturæ, quæ illud omninò excludunt oriuntur.

37 Quarta sit coniectura arguendo ab absurdo, quod quidem argumentum in iure validissimum est, l. nam absurdum ff. de operis libertor. Mantica de coniecturis ultim. volunt. lib. 3. tit. 3. num. 2. Neuizan. in sua sylua nuptiali lib. 1. num. 192. si ita quæ dictum admitteretur prætenfum vinculum, sequeretur quod ab nepotes, & alij vteriores descendentes dicti D. Alfonsi, non solum ex prima, verum etiam, ex secunda, & tertia linea præferentur neptibus proximioribus ex linea magis dilecta, & quod filii dicti D. Philippi prælati existerent ab illius transuersalibus; poterat enim absque filio masculino decedere dictus D. Philippus, relicta filia, quam exclusam videret dicta D. Cicilia admif.

- admisso extrad eo, & quid absurdius? vt in istismet terminis notarunt Cassanate *conf.* 38. *nu.* 37. Decian. *conf.* 99. *nu.* 30. *lib.* 2.
- 38 Quinta sit coniectura, quia iuxta stylum in concussa obseruatum per notarios publicos Ciuitatis Barchinonæ, & per eundem Petrum Fitor, apud quem stipulatum fuit dictum instrumentum, capitula matrimonialia non extenduntur in suis manualibus, sed tantummodo ponuntur vt vulgo dicitur, *per aprisa, y en abreniatura*, referendo se ad bursam, & dicta capitula matrimonialia de quibus est sermo, reperiuntur extensa in manuali dicti Petri Fitor, & minimè ibi remissio fit ad bursam: Cetera autem capitula matrimonialia testificata penes dictum Fitor in manuali existunt caterata cum relatione ad bursam, ex quo dicendum est, dicta capitula matrimonialia, registrata fuisse contra consuetudinem, & stylum notariorum, ac ipsius Fitor, & consequenter esse de falso suspecta, quia magna est falsitatis coniectura, quæ oritur ex in solito modo scribendi, & registrandi instrumentum, *cap. licet §. penult. vbi glos. verbo scriptura de crimine falsi*, Decius *in cap. ex parte num. 30. de rescriptis*, & ibi Ripa *num. 31. Abbas cap. ex par. & secundo de officio delegati, Craueta conf. 28. num. 5. Socinus iunior conf. penult. num. 56. vol. 2. Mascardus conclus. 740. num. 38. Castillo decif. 135. num. 11. Sforcia Oddo conf. 78. num. 11. Parisius conf. 28. num. 13. lib. 2. Farinac. de falsitate quest. 153. num. 159.*
- 39 Quod ita verum est, vt quamuis scribendi diuersitas notari in vna tantum consistat littera, redditur suspectum de falso instrumentum Decian. *conf.* 108. *num.* 62. *lib.* 2. & ita pariter vt suspectum habetur quoties rubricatur instrumentum, non vt cetera rubricari solent, Alba *conf.* 224. *nu.* 3.
- 40 Sic sexta coniectura, reperiri dicta capitula matrimonialia duabus in partibus extensa, vt in processu videre est quando inter notarios Barchinonæ nunquam tale stylatum extat, vnde insolita est prædicta diligentia, & vt dictum remanet, ex registratione alicuius instrumenti facta contra stylum falsitatis desumitur coniectura sicuti ex quolibet actu exequuto contra communem, & assuetum stylum, Triuisan. *decif.* 4. *nu.* 15. *lib.* 2. Genua *de sumptibus priuata lib. 1. quest. 6. liugit. 7. num. 40. Veral. decif. 3. num. 13. par. 2. Farinac. de falsitate quest. 153. num. 159. Calozza contra. 29. num. 65. Noguerol allegat. 26. nu. 127.*
- 41 Ex quo septima oritur coniectura, quia prædicta duo prætenfa originalia extensa contra communem stylum notariorum, ac ipsius Fitor, continent in se magnam, extraordinariam, ac inusitam diligentiam, ex qua non leuis oritur falsitatis suspitio Craueta *conf.* 6. *num.* 34. Menoch. *lib. 5. præsumpt. 20. num. 28. Bimius conf. 188. num. 96. Larrea decif. 66. num. 5. ex quibus octaua sequitur coniectura, quia ex multiplicitate actuum relultat præsumptio falsitatis, Menoch. dict. lib. 5. præsumpt. 20. num. 24. Farinac. decif. 306. num. 5. post tom. Consilior. criminali. Genua de scriptura priuata dista dubitatione. 7. num. 14. quos refert, & sequitur Noguerol dict. alleg. 26. nu. 129.*
- 42 Nona sit coniectura quæ incidit cum sexta, quia in dictis prætenfis originalibus supponuntur quinque insinuationes receptæ per Balthasarem Dot scribam maiorem Curie Vicariæ Barchinonæ, quarum nulla scripta fuit manu ipsius Dot, & exploratum est, quod quando similia insinuantur instrumenta, & in eis insertur insinuatio deferuntur originalia ad scribam maiorem dictæ Curie, & si per aprisiam extant dicta instrumenta, similiter scriba dictæ Curie per aprisiam apponit insinuationem, manu sua propria scriptam, & si extensa sunt instrumenta, dictus scriba suum apponit signum in dicta insinuatione, & in ipsismet instrumentis cui subscribit, & dictæ insinuationes reperiuntur scriptæ alia manu quam dicti Dot, & si in illis affirmetur manu propria ipsius fuisse scriptas, ex quibus fateri oportet, notorie dicta prætenfa originalia, parum cõformia esse communi, ac inuidabili stylo, similibus in casibus obseruato, & contra ipsam veritatem, quæ in dictis insinuationibus supponitur, quæ omnia secû afferunt magnam falsitatis suspicionem, ex Natta *conf.* 124. *nu.* 14. *lib.* 1. Alba *conf.* 224. *nu.* 4. Rimin. *inn. conf.* 58. *nu.* 23. & sequenti *lib.* 3. Decius *conf.* 108. *nu.* 63.
- 43 Ex prædictis namque formati potest (Nifalor) silogismus pro suspicionem falsitatis concludens, prout sequitur, semper, & quotiescumque insinuat aliquod instrumentum, & in istius corpore includere intendunt contrahentes insinuationem, scriba dictæ Curie Vicarij manusua propria insinuationem in ipso scribit originali, & ipse ita

testatur, atqui in dictis prætenfis originalibus reperiuntur dicta in suua i res non manu dicti scribæ scripta, licet in contrarium dicatur, ergo dicta scriptura dictorum capitulorum matrimonialium nullatenus dici possunt originale, & conseqüenter ex illis extrahi non potest instrumentum in publica, & autentica forma
Pareja de instrumentor. edition.

44 Decima sit coniectura quam communiter deducunt DD. ex tarda instrumenti productione, *l. si quis forte §. 1. ff. de panis*, Purpuratus *conf. 6. nu. 22.* Franc. Bech. *conf. 103. num. 27.* Ludo. Bellus *conf. 102. num. 24.* Larrea *allegat. fiscalis 96. num. 21.* Pareja *de instrumen. editione tit. 7. resol. 2. num. 37.* Ceriacus *controuer. 62. num. 28.* Noguero *d. allegat. 26. nu. 126.* quam coniecturam nostro casui applicari certissimum est, Abbas enim de Eril frater Comitis D. Alfonsi post illius mortem non obtante quod in illius libera dispositione extabant omnes scriptura, ac instrumenta domus, ac familiae de Eril, & quod summopere desiderabat dictum D. Philippum fratrem suum, in Comitatus de Eril possessione constituere, in toto superuiuentia tempore Comitissa D. Barbere, quæ per octo menses dicto Comiti Don Alfonso viro suo supervixit, nullatenus de dicto prætenso vinculo mentionem fecit, nec quicquam intentabit super dictis Comitatu, & Baronijs postumus enim cum Iurifconsulto affirmare, *in l. si quis forte §. 1. ff. de panis*, ibi: *nec debebant magnam rem, tam diu retizere.*

45 Videmus enim dictum Abbatem ita sollicitum pro interesse fratris sui D. Philippi, intendentem illum facere Comitem de Eril in præiudicium huius Admodum Illustris partis, conuocat aduocatos pro concordia efficienda, supponit dictum prætensum vinculum quod nunquam exhibuit, & exhibere debebat si illud realiter existeret, ex cuius exhibitione duo conseqüebatur non leuia lucra, primum, in consecutione Comitatus provt suum postulabat desiderium, secundum in iustificatione qua operabatur, & omnibus notam faciebat, & aduocati absque illius ostensione sola fide dicti Abbatis ducti suum præstant Consilium.

46 Vndecima sit coniectura, quæ communiter admissa est, quando pars minimè ausa est instrumentum producere *Surdus conf. 132. num. 4.* Pareja *de instrumentor. editione tit. 7. resol. 2. nu. 39.* quam verificatam in nostro casu habemus, tam ex supra adductis in num. antecedenti quam ex eo, quod in processu reperimus statim atque enim præsens lis cepta fuit, quamuis dicta capitula matrimonialia fuerunt exhibita, at tamen de dicto prætenso vinculo, nec vllum verbum fuit dictum in processu vsque ad sententiam, (tempore turbationum obtentam) de dicto prætenso vinculo, neque aduocati, tam istius partis, quam aduersæ in iuris allegationibus de illo verbum fecerunt.

47 Reducto iam præfenti Principatu suæ prisca, ac debita obedientia, de suo iure deducens pars aduersa, tantummodo iuuari intendit dicto prætenso vinculo quo ad Baroniam de sant Antoli, petens Comitatum, & Baroniam de Orcau, virtute cuiusdam testamenti, quod ita in subsistens est, pro roboranda alterius partis prætensione, vt inter alia principaliora fundamenta huius partis allegatur; quid enim hoc est, nisi parum firmum animaduertere dictum prætensum vinculum, & illius productionem timere, aut ausum non fuisse illud exhibere, & eo plene iuuari.

48 Fouetur amplius præfata coniectura, & suspitio falsitatis ex modo quo exhibitum fuit dictum instrumentum, quia postquam expeditum extitit mandatum ad instantiam D. Ioannis de Eril contra Antichum Seruat notarium, tanquam regentem scripturas Petri Fitor, vt extraheret dictum instrumentum in forma probanti, minimè exhibetur illud, sed tantummodo quoddam transumptum, & in negotio ita graui, vt est præfens, exhibere exempla instrumentorum quæ extant in ipsa Ciuitate, non reperiri instrumentum exemplatum, reuuntiare partem aduersam

uei sa n̄ dicto transumpto, eo, prætenu, quia originale ad inuentum est, nihil aliud continent quam dictæ falsitatis suasionem ob inusitatum procedendi modum ex latè numeris antecedentibus dictis.

- 49 Duodecima sit coniectura, deducta ex renunciatione plurium, ac considerabili-
 lium iurium absque causa in aliquo facta instrumento, vt cum Angelo, & Ruino
 probat Menoch. *lib. 2. præsumpt. 20. num. 34.* quos sequitur Bimius *dicto conf. 188.*
num. 108. quam renunciationem nostro in casu experimur, dictus enim Comes
 D. Philippus dominus erat iam omnium sui patris bonorum, cum libera illo-
 rum dispositione, vt superius dictum est, atque ita suum præstare consensum in
 dicto prætenso vinculo in fauorem fratris sui, & aliorum transversalium in defe-
 ctum descendentiæ suæ agnatione, & masculinæ aliud non fuit quam renunciatio
 maximi iuris absque aliqua causa facta.
- 50 In compensationem enim dictæ renunciationis, nihil amplius per patrem
 suum Don Alfonso illi præstatur quam ei debitum iam erat, nec agnationis
 conseruatio potuit pro causa sufficienti considerari, vt odio suam descenden-
 tiam dictus Comes Don Philippus haberet in fauorem suorum transversalium,
 non solum contra pietatis officium, *l. hoc colore ff. de inofficioso testamento cap. fin.*
17. quest. 4. glos. 1. in l. si quis ad declarandum versic. Similitudo Cod. de Episcop. &
Cler. verum etiam contra ipsius naturæ, leges l. cum ratio de portionib. quæ libe-
ris damnatorum conceduntur, l. maximum vitium Cod. de liberis præteritis, quod
 contemplatione alicuius matrimonij denudetur quis in fauorem filiorum nas-
 citorum libertate disponendi in suis bonis quotidie seruatum videmus, attam-
 en prædictæ libertati renunciare suos excludens descendentes in fauorem trans-
 versalium, nunquam visum est, nec causa potest existimari legitima pro iustifi-
 canda renunciatione, ita præiudiciali, vt continetur in dicto capitulo. Item per
 fauor, ex *l. cum auus, & ibi DD. ff. de conditionib. & demonstr. l. cum acutissimi Cod.*
de fideicom. & traditis à Ioanne dilect. in tractatu de arte testandi 3. par. caubela 10.
nu. 4. Valenz. V. claz. conf. 111. nu. 5.
- 51 Decima tertia sit coniectura, quæ desumitur ex non registratione insinuatio-
 num (quæ supponuntur in dicto instrumento) in iudic. Curie Regentis Vicariam
 Barchinonæ, vbi omnes Registrari solent insinuationes, & quamuis liber illius
 anni reperiatur in dicta Curia, & in illo aliæ insinuationes, attamen prædictæ præ-
 tensæ minimè inueniuntur quo in casu falsum præsumitur instrumentum Gram-
 maticus *decis. 106. in fin. Couarru. practicar. quest. cap. 19. nu. 3. & cum alijs mul-*
tis Farinac. de falsitate quest. 153. nu. 144.
- 52 Cum itaque hæc falsitas animaduertatur commissa in substantialibus dictorum
 capitulorum matrimonialium, vt sunt hæreditamenta, & donationes quæ in illis
 continentur, proculdubio est illam extendi ad totam dicti instrumenti contextu-
 ram, vt testantur omnes qui de hac tractant materia, & refert Farinac. *de falsitate*
quest. 152. nu. 12.
- 53 Et quamuis dicta falsitas solum existeret circa leuiore circumstantias, cum re-
 periat in ipso quod ab ipsa parte contraria vocatur originale certissimum est
 per illam totum vitiari instrumentum, Anton. Faber *in Cod. lib. 4. tit. 16. diffin.*
24. Pareja de instrum. edit. tit. 1. resol. 3. §. 2. num. 25. vltra quod extantibus tot, &
 tantis coniecturis, & præsumptionibus quibus dicta capitula matrimonialia ac-
 cusantur, vt suspecta de falsitate, qualibet in parte etiam leuiori reperiatur falsi-
 tas, omnia destruere debet, vt dicitur de contrarietate, & repugnantia, quæ quam-
 uis leuis sit, si instrumentum est de falso suspectum, totum præsumitur falsum, So-
 cin. *iun. conf. 229. col. 5. vol. 2.*
- 54 Quibus omnibus coniecturis, ac præsumptionibus addende sunt quæ in pro-
 cessu ponderate remanent, & quamuis dicatur aliquas ex illis esse leues, parum
 obstat, quia vltra, quod omnes sunt vrgentes, cum reperiamur in iudicio con-
 iectu-

11
iecturali, vna ex alia iuuatur præsumptione, & iunguntur pro plena efficienda probatione, quia quicquid sit de veritate illius quæstionis, satis inter DD. controuersæ, vtrum in perfecte vniantur probationes, vt ex illis vna fiat perfecta, & plena, attamen in materia præsumptionum communiter tenent ferè omnes DD. quod dum præsumptiones vnum respiciant finem, & effectum, inter se vniantur, & si leues plenam producant, & perfectam probationem, *gl. in l. instrumenta verbo alij Cod. de probationibus*, Gabriel *de probationibus conclus. 1. num. 66. Mantica de coniecturis vltimar. volunt. lib. 12. tit. 17. num. 16.* Mascardus *de probationibus conclus. 307. num. 48. & 49. & conclus. 1223. num. 1. & 3.* Menoch *de præsumptionibus lib. 1. quest. 40. num. 13.* Rustic. *am. & quando liberi lib. 3. cap. 1. num. 2. 14. & 151. & lib. 1. cap. 2. part. 2. num. 80. & lib. 2. cap. 1.* quod adeo verum est vt habeat locum licet qualibet per se non sit plenè probata, *cap. præterea 27. de testibus*, & ibi Abbas *notabili 1. Aretinus in cap. veniens, et primo num. 25. ad finem*, & ibi Felinus *num. 13. idem Aretin. consil. 13. num. 9.* Decius *consil. 577. nu. 12.* Gabriel *lib. 1. communium tit. de probatio. conclus. 1. num. 32.* quos sequitur Noguerol *d. allegat. 26. nu. 145.*

55 Et in nostro casu animaduertendum est, quod ad effectum pro quo oppositum est de falsitate supersunt coniecturæ, quia inter animaduersas existunt aliqua resultantia ex vitio intrinseco, & visibili, vt sunt contrarietates, & repugnantia, & multæ inuerisimilitudines, quæ notantur, & vbi coniectura est orta ex vitio visibili, vna sola sufficit, vt pro suspecto de falso habeatur instrumentum, vt cum Archidiacono, Iulio Claro, Gabriele, Mascardo, & Menochio affirmat Castillo *decis. 135. num. 7.* & inuerisimilitudo sola vt supra ostensum est num. 33. sufficit ad eneruandam fidem instrumenti, & in dubio Iudex tenetur illi non credere.

56 Licet autem vitium ex quo arguuntur coniecturæ pro falsitate sit extrinsecum duæ sufficiunt solæ, vt suspectum reddant de falso instrumentum, Cephal. *consil. 338. num. 24. & consil. 287. num. 40.* Bursat. *consil. 314. num. 5. lib. 3.* Anan. *consil. 49. num. 3. versic. Nam dua præsumpt.* Crauet. *consil. 134. num. 29. & 39.* Decian. *consil. 99. num. 76. volum. 2.* Surd. *consil. 173. num. 6.* Federic. Scot. *lib. 1. respon. 5. num. 27.* Ludouic. Bellon. *consil. 102. num. 26.* Farinac. *de fals. quest. 152. num. 28.* Larrea *allegat. 96. num. 6.* Pareja *de instrument. edit. tit. 2. resolut. 3. §. 2. num. 27.*

57 Quæ maximè procedunt animaduerso termino, quo in materia hac locuntur DD. super falsitatis probatione in causis ciuilibus, non enim præcisè desiderant præsumptiones, ac coniecturas, verum, & suspicionibus contentantur, & satis minus suspitio continet, ac coniectura, & indicium, Barthol. *in l. aduocandi 25. ff. de iure iuran.* Iulius Clarus *in prædicis §. fin. quest. versic. Et huiusmodi indistia*, Menoch. *de præsumpt. quest. 7. num. 41. lib. 1.* atque ita cum scriptura suspecta de falsa minimè in iudicio probet, sufficit quod suspitio oriatur ex actu ex quo, nec coniectura, nec præsumptio resultet, dum suspecta sit scriptura, vt punctim cum Saliceto, & Iafone tenuerunt Menoch. *de arbitrar. lib. 2. casu 92. num. 20.* Farinac. *in dicto consil. 108. num. 9.*

58 Tandem autem in dubio, si contra instrumentum adsunt suspensiones, & coniecturæ ortæ ex vitijs extrinsecis, iudicis arbitrium contra instrumentum moueri debet, vt illi in iudicio minimè adhibeat fidem, Baldus *in l. scriptura col. 2. Cod. de fidei instrument.* Felin. *in cap. auditis num. 33. de præscript.* Curtius senior *consil. 73.* Curtius iunior *consil. 17. volum. 1. num. 6. & consil. 64. col. 3.* Crauet. *consil. 34. num. 36.* Abbas *consil. 99. colum. final. volum. 1. Iafon. consil. 168. vol. 4.*

Alba

